





*P. 72. 3 A.*  
7 DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
*Pr. 56. num. 21.*

# DIVISIONE PARENTVM INTER LIBEROS

*Homväterlicher Theilung*

*P. 288.* QVAM  
DIVINA ANNVENTE GRATIA  
SVB REGIMINE ACADEMICO  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**DN, VVILHELMI HENRICI**  
DVCIS SAXONIAE, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM, ANGA-  
RIÆ UVESTPHALIÆQUE & reliqua,  
PRINCIPATVS ISNACENSIS ET PROVINCIARVM AD IL-  
LVM PERTINENTIVM HEREDIS  
EX DECRETO ET AVTHORITATE ILLVSTRIS  
JCTORVM ORDINIS  
IN ALMA SALANA  
PRAESIDE  
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO


**CHRISTIAN. VVILDVOGELIO**  
JCTO CONSUMMATISSIMO,  
CONSILIARIO SAXO - ISENACensi INTIMO, CVRIÆ PROVIN-  
CIALIS ET SCABINATVS NEC NON FACVLT. IVRID. AS-  
SESSORE GRAVISSIMO, IVRIS PVBL. FEVD. ITEMQUE  
COD. ET NOV. PROFESSORE ORD.  
PATRONO AC PROMOTORE SVBMISSE VENERANDO  
PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES CAPESSENDI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
DIE DEC. AO C M DCC X.  
JOHANN. FRIEDR. KROMAYER, Jenens.

JENAE, TYPIS MULLERIANIS.







ad. omnia isti cupida. eribor. cuncta  
ni condit. m. lib. cuncta.

## Cum Deo.

TH. I.



Viam solliciti fuserit Romani in  
custodienda libertate, ejusque  
effectibus & præcipue ultimis  
voluntatibus, neminem late-  
re potest, nisi eum, qui se,  
etiam elementorum jurispru-  
dentiæ, profitetur ignarissi-  
mum. Vnde factum est, ut Romani testamenti  
factionem tanquam præcipuum libertatis effe-  
ctum non tantum tot legibus statuminaverint,  
verum legibus etiam quam multis fraudes præ-  
caventes testamentorum sinceritatem firma-  
verint.

TH. II. Hæ cautiones autem ab aliis rursus in per-  
niciem & eversionem ultimarum voluntatum tra-

A 2

etx

Etæ sunt , unde in quibusdam voluntatibus ad simplicitatem juris gentium redire maluerunt. Non tamen omnibus id concessum est , verum quibusdam solum personis , quas recensere nunc non vacat : parentes tamen præterire nolumus , quippe quibus , non tantum minus solenniter testamenta condere , sed & absque testamento ab intestato divisionem bonorum inter liberos instituere licet.

TH. III. De hac divisione parentum inter liberos in præsenti , pro modo instituti , agere animus est. Cumque origo vocabulorum eorumque significatio in vulgus sit nota , non est , cur nos in uberiorem eorum declarationem diffundamus , sed progredimur statim ad illius divisionis descriptionem , quod nimirum sit actus , quo parens heredes non instituit , sed in modum legati liberis assignat , quid ab intestato venientes capere debeant . *L. ult. C. famil. hercifc. vid. Perez. in Cod. de test. n. 28. Richter. dec. 29. n. 25. Struv. Ex. 32. tb. 20.*

TH. IV. Diximus , quod parens divisionem hanc instituat : an ergo & mater hic intelligitur ? Ita putamus ; nam cum testamentum minus solenne etiam à matre condi possit , *l. 21. §. 1. c. d. te-*

r. d. testam. ibique Brunnem. Nov. 107. pref. verb.  
 sed & in matre Carpz. p. 3. C. 4. d. 15. Reusner.  
 d. testam. Vol. 2. c. 2. n. 5. Mev. ad Jus Lubec. p. 2.  
 tit. 1. art. 2. n. 14. non apparet cur non etiam  
 nuda divisio illi sit permittenda. Testamenti sa-  
 ne factionem minus solennem ipsis concessam  
 esse, præter leges jam allegatas, probant ex L.  
 ult. C. famil. hercisc. quippe quæ non suorum  
 tantum liberorum, sed & emancipatorum memi-  
 nit, ex quo concluditur, non esse rationem deci-  
 dendī in patria potestate collocandam, sed in pa-  
 rentela, quæ patri pariter ac matri communis est.  
 Imo eo magis videtur matri permittenda, quod  
 etiam multo liberior ejus quondam fuerit testa-  
 menti ordinatio, nam pater patriam potestatem  
 habens, tenebatur liberos suos instituere aut nomi-  
 natim exheredare, mater è contrario ab hac ne-  
 cessitate pronunciabatur libera. §. ult. d. exhered.  
 liber. Potest hoc non incommodè extendi  
 ad matres, quibus statuto facultas condendi  
 testamentum est ademta, has enim potestate  
 faciendi codicillos, in quibus divisio fit, & qui in  
 effectu cum ea convenient, non carere putamus,  
 quandoquidem jura statutaria ita sunt intelligen-  
 da, ut juri communi minime derogent. l. 21. ff.

5 (6) 5

de test. milit. Cap. 8. X. de consuetud. adeo, ut  
nec ex identitate rationis ultra casum, de quo lo-  
quuntur, extendatur. Gaius lib. 2. obs. 33. n. 9  
& codicilli, si in proprio significatu sumantur,  
à testamentis sunt diversissimi, L. 7. C. d. Codicill.  
L. ult. ff. eod. Cum igitur humanitati conveniens  
sit, licentiam disponendi per codicillos non omni-  
no sublatam videri. L. 1. C. d. SS. ecclesias. L. 6.  
§. 2. d. jure Codicill. juncta L. 22. ff. d. leg. 3. &  
jura hæc correctoria sint odiosa, ac propterea  
strictissimæ interpretationis, arg. L. 42. ff. d. pœ-  
nis. C. odia. d. R. J. in 6to. hinc adhuc regulariter  
salvam esse matribus inter liberos per codicillos  
disponendi facultatem, concludimus. Nec ob-  
stat L. 6. §. pen. ff. d. jure Codicill. utpote quæ de  
jure communi loquitur, quo ita constitutum est,  
ut is qui testamenti factionem non habet, nec co-  
dicillos condere possit. Statuta vero, in primis  
juris communis correctoria, ita accipienda sunt,  
ut quam minimum recedatur à jure communi.  
Matth. Vesenb. vol. 1. cons. 14. n. 20. cum ea  
ratum disponere intelligantur, quantum loquin-  
tur, adeoque casus omilii pro omisso, & sub-  
dispositione juris communis relictio haberi debeat.  
Coler. part. 3. dec. 17. n. 26. Corihmam vol. 3.

R. 46.

R. 46. n. 31. Nec obstat regula juris: quod aliquo prohibito, censeantur omnia prohibita, quæ ex eo sequuntur. C. cum quid; 39. d. R. J. in 6. quoniam codicilli ab intestato facti, de quibus quæstio est, ad testamentum non pertinent, nec illud sequuntur, sed per se valent, & testamenti tantum speciem exhibent, ut constat ex L. 26. ff. d. *Jure Codicilli.* Cum igitur evictum sit, quod mater in prædicto casu nihilominus possit codicilos facere & in illis legata relinquere, divisio autem parentum inter liberos, in modum legati fiat, dubium superesse non potest, quin matri etiam in prædicto casu talis divisio adhuc fit integralis.

TH. V. Pater autem bona sua inter liberos se vivo dividere nequit, ideo, quod hujusmodi divisio sit instar donationis, quæ inter patrem & filium in potestate constitutum regulariter non subsistit. L. 1. §. 1. ff. pro donat. L. 11. L. 17. C. de donat. L. 28. C. d. donat. inter vir. & uxor. Gail. lib. 2. obs. 38. nam nemo sibi donare potest, arg. L. 56. §. 1. d. fidejuss. Aliud autem est, si divisio ita facta testamento vel codicillis confirmata sit, tunc enim valida & à filiis omnino servanda est, quia hoc pacto vim ab ordinatione supremi judicii ad ultimæ voluntatis,

non à donatione accipit, L. 20. §. 3. famil. her-  
eisc. L. 10. C. eod. Jure tamen Saxon. Electorali  
per donationem inter vivos uni ex liberis bona  
concedere licet, de quo vid. Carpzov. lib. 6. R. 43.  
n. 26. & P. 2. C. 12. d. 22. Præterea aliud est, si uni  
ex liberis aliquid minus justo pretio pater vendat,  
dummodo reliqui in legitima, jure naturæ debi-  
ta, non defraudentur, Nov. 22. c. fin. per quem  
textum decitur, daß der Vater seiner Kinder  
einem seine Güter verkauffen / oder zuvor aus  
vermachen/und darinnen einen Vortheil (salva-  
tamen legitima aliorum) thun möge / attestante  
Schneidevvin. ad tit. Inst. d. assign. lib. n. 5. ubi ita  
quotidie pronunciari refert.

ad b. TH. XI. Sicuti autem necessarium est,  
ut pater inter omnes liberos divisionem faciat, &  
nullum prætereat, quia ab intestato fit successio,  
& tantum de quantitate portionis agitur, ubi ex-  
cessus in una vel altera re per modum legati va-  
let, ita cavendum est, ne quisquam liberorum  
lædatur in legitima. Nec aliter divisio subsistit,  
quam si unusquisque ex liberis tantum capiat, ti-  
tulo quounque, quantum ratione legitimæ ipsi  
debetur. l. 30. & 31. C. d. inoff. test. quia in l. 16.  
C. famil. hereisc. casus testamenti inofficiosi i. e.  
non

(ut

Cut glossa ibi textum exponit) casus præteritionis & exheredationis clare distinctus est a nostra diuisione; tum etiam, quia textus in *L. fin. C. famili. hercisc.* diserte dicit, ea, quæ de divisione hac nostra traduntur, intelligenda esse quando legum solennitas deficit; at vero solennitatem legum intelligimus respectu numeri testium, non respectu præteritionis, quæ inofficioritatem, ut ita loquar, concernit; Hahn. *de disposit. parent. inter liberos* *ib. 82.*

TH. VII. Quando vero inter omnes liberos sit divisio, tunc illa aut æqualis est, aut inæqualis. De æquali non potest esse dubium, quin valeat, quia alias regulariter divisio, debet æqualiter fieri, neque opus esset præcise parentum divisione. Sicut enim si plures instituuntur heredes, ita domum in hoc casu partium distributio necessaria est, si nolit testator, eos ex æqualis partibus heredes esse: satis quippe constat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus heredes succedere. §. 6. *Inst. d. hered. instit.* ita etiam res in casu intestati est comparata, ut tunc demum distributio partium necessaria sit, si nolit parens, licet ab intestato ex æquis partibus heredes esse. Quæstio ergo est de inæquali divisione, quæ an valeat?

B

con-

controvertunt. Nos hanc valere, nulli dubitamus, quia distributio & divisio hæc vim prælegatorum habet, quæ à parentibus filiis relicta valida sunt. Probatur autem hæc sententia ex L. 16. §. ult. C. famili. hercise. in quibus dicitur, ex Scto Trebelliano posse retineri quartam, cui tamen locus esse non potest, nisi supponamus, filios esse inæqualiter vocatos. Natta, Conf. 622. n. 8. Deinde probatur id ipsum argumento Nov. 107. cap. 1. & Autb. quod sine. C. d. testam in quibus traditur regula generalis, quod testamentum minus solenne inter liberos valeat, à qua regula casus iste non reperitur expresse exceptus, ergo standum est regulae. Imo requiritur, cum testamentum est imperfectum, ut unciarum quantitas describatur; id quod supervacuum esset, si omnium filiorum unciae deberent esse æquales. Et quamvis leges æqualitati inter liberos faveant, quia, sicuti inæqualitas inter liberos existit causa litium & discordiarum, ita æqualitas concordiam & charitatem inducere solet, L. 6. §. 2. in f. C. d. bon. quæ. liber. ut proinde etiam parentes ad æqualitatem inter liberos servandam invitentur, L. f. C. communi utriusque judic. Hæc tamen parentes ad aliam æqualitatem, quam quæ illis ratione tituli-  
incum.

incumbit, non adstringunt, sed potius permittunt; magis dilecto filio plus dare, dummodo reliquorum legitima non gravetur. Confirmatur etiam asserta inæqualis divisio ex L. 10. C. famil. hereditate, ubi hæc leguntur verba: *quoties inter omnes heredes testator successionem suam dividit, ac singulos certis possessionibus cum mancipiis, que in iisdem sunt constituta, jubet esse contentos, voluntatibus (salva legis Falcidiae auctoritate) obtemperandum esse, manifestum est.* Ex quo enim rescriptum hoc detractioni Falcidiae dat locum, eo ipso innuit, alterum prægravari posse in divisione paterna: cui consequens, æqualitatem præcise servandam non esse. Imo communiter receptum est, contractus parentum inofficiosos nullo remedio coërceri, nec alienata à patre titulo oneroso à liberis retractari vel revocari posse. Bartol. in L. hereditarium. 17. ff. d. bon. aut. jud. poss. Petrus Heig. part. I. quæst. 25. n. 38. idque ideo, quod ante obitum patris liberi, ne quidem in legitima, multo minus in reliquis bonis, quicquam juris sibi sumere vel arrogare queant. l. I. §. 21. ff. d. collat. l. I. §. 6. ff. d. success. edit. Heig. cit. loc. ac propterea tanquam heredes factum patris præstare, ejusque contractum vel alienationem ratam

habere teneantur. *L. cum à matre.* 14. *C. d. rei wind.* l. 3. *C. d. reb. alien.* non alien. *l. ea qua à pa- tre.* 7. *C. d. test. mil.*: & eor. quæ Reip. caus. abs. Quod si ergo pater sine liberorum consensu bo- na sua in extraneum transferre potest, quidni etiam liberum ipsi esset, tribuere majorem saltem bonorum partem vni ex filiis suis, conquerenti- bus licet reliquis super inæqualitate?

TH. VIII. Praedictis quidem objiciunt *l. ult.* ibi: *tamen pares videntur esse. C. famil. hercisc.* at- que hinc patrem non aliter inter liberos præter- missis solennitatibus testari posse putant, quam si æqualitatem inter liberos servet, veluti ita sentiunt Decius *Conf. 105. n. 6.* Bartol. *vol. 1. Conf. 32. n. 6.* Andreas Tiraquell. *d. jur. primogen. quæst. 4. n. 4.* quod tamen alii ad magnam & injuriosam in- æqualitatem restringunt, modicam vero & parvam testamento, multo minus divisioni, haud ob- sistere existimantes. Sed quicquid horum sit, verba dictæ *l. ult.* non de paritate seu æqualitate por- tionum, sed potius de pari succedendi jure, acci- pienda esse, jam antea diximus, quasi dicat impe- rator: inter omnes heredes suos, hoc est, liberos, ex quolibet venientes gradu, attamen pares in succedendo, veluti filium, & nepotem ex filio.

præ-

præmortuo, patris ultima voluntas custodienda erit, etiamsi solenni testamento non contineatur. *Glossa in d. l. ult. verb. pares.* Nam si aliter dicere mus, & legem de æqualitate portionum intel ligeremus, sibimetipsi lex adversari videretur, eo, quod deinceps auxilium SCti Trebelliani considerat, uti bene animadvertisit Harprecht. in §. 3. ¶ 4. n. 270. in f. Inst. d. test. ord. Vnde & in æqualitatem magnam usque ad legitimam admittimus, hanc enim nullo jure gravari posse, certum est, nisi quod quidam certas cautiones invenierint, quorū referunt fideicommissum reciprocum, quam tamen materiam alio remittimus. Ceterum inter dissentientes à nobis refertur etiam Ernest. Cothmannus. Vol. 1. R. 6. n. 19. & seq. Quia vero ejus argumenta partim jam sunt re censita & refutata, partim etiam ad testamentum parentum inter liberos pertinent, nostra divisio autem laxioris sit dispositionis, hinc supersedemus tædiosa repetitione. Evidem Cothmann. cit. loc. n. 48. objectioni, quod alias parentum divisio non magnæ utilitatis sit, satisfacere intendit, & hac uititur instantia: *scimus enim, patri licere inter liberos de feudis disponere & singulis liberis æquales partes adscribere, eamque patris ordinationem.*

( 14 )

ratam baberi & observandam esse, quemadmo-  
dum notant Feudis ad cap. unicum, circa princip.  
d. success. feudi & alibi, cum tamen & sine testa-  
mento liberi essent aequales partes ex feudo perceptu-  
ri. Sed vero parum proficit hac responsonie, quin  
potius fatetur illa ipsa, non magnam utilitatem af-  
ferre tales divisionem: ut taceamus tales divisiones  
ab aliis plane in feudis non admitti, per  
expressum textum in C. un. pr. ibi: nulla ordina-  
tione defuncti in feudo manente vel valente; de  
success. feud. i. F. 8. de qua re postea. Et licet  
porro adjiciat, quod alias quam plurimas utilita-  
tes talis divisio habeat, cum ad incommoda amo-  
venda & lites praecavendas vel maxime conducat,  
& hoc amplius in modico aliquem liberorum vel  
honorari vel onerari posse, concedat, eo tamen  
ipso asserit, quod divisio possit inaequaliter fieri,  
nam & certa portio assignata, altera potest esse  
melior vel deterior, licet vel maxime aequalitas  
intercidatur. Et in nostram sententiam videtur  
tandem ipse concedere Cothmannus cit. loc. n. 60.  
& seq. quando ait, patrem quasdam saltem res  
liberis ab intestato successuris praegare, vel de  
hisdem inaequalem divisionem facere posse. Fir-  
mo ergo stat tali sententia, quod divisio paterna  
possit

possit non tantum æqualiter, sed & inæqualiter fieri, modo læsio non fiat in legitima.

TH. IX. An vero vice versa etiam liberi inter parentes æqualiter vel inæqualiter bona dividere valeant, quæritur? ut plurimum id DD. negant, & rationes petunt à testamento parentum inter liberos privilegiato; nam nec hoc à liberis inter parentes condi posse, inde adstruunt, (1.) quia testamentum imperfectum & privilegiatum contra regulas juris communis est receptum, non igitur debet produci ad consequentias l. 14. d. LL. C. 74. d. R. J. in 6. l. 141. pr. d. R. J., quod tamen fieret, si etiam minus solenne testamentum liberorum inter parentes valeret: (2.) quia hic non militat ratio, quæ testamentum imperfectum privilegiatum introduxit, scilicet favor liberorum: cessante igitur ratione juris, cessat quoque juris dispositio, l. 32. d. pactis. Everhard. in topic. loco à cessatione rationis. n. 1. § 2. Quæ sententia (3.) confirmari videtur per l. bac consultissima. 21. §. ex imperfecto. 2. C. d. test. ubi Imperatores testamentum privilegiatum restringunt ad solos liberos, ibi: nisi inter solos liberos. Cum quibus consentit Nov. 107. in pr. ibi: omnibus modis inter liberos tenere. (4.) quia, ubi agitur in jure de testamento

hoc

hoc imperfecto privilegiato, semper loquuntur  
 textus de testamentis parentum, nunquam de te-  
 stamentis liberorum, l. 16. & ult. C. famil. her-  
 cisc. l. bac consultissima. 21. §. ex imperfecto. cit.  
 Auth. quod sine. & Autb. hoc inter. C. d. test. quod  
 procul dubio non fieret, si isti textus etiam habe-  
 rent locum in liberis instituentibns heredes paren-  
 tes suos, in minus solenni voluntate. Schroeter.  
 de test. inter liberos. cap. 8. & hanc sententiam à  
 DD. communiter receptam esse, ait Müllerus ad  
 Struv. Exerc. 32. §. 20. lit. ξ. præsertim quod pa-  
 terina hereditas liberis ipso jure debeatur, & inve-  
 recundum admodum sit, voluntati patris quo cum  
 que modo probatæ contravenire, quin & singu-  
 laris reverentia, quam liberi debent parentibus,  
 hoc innuat, quæ omnia extendi non debent ad  
 parentes, quos liberi heredes instituere volunt.  
 Carpz. part. 3. c. 4. d. 15. Quamvis igitur argu-  
 mentum à testamento parentum, ad divisionem  
 parentum, inter liberos, negative non semper pro-  
 cedat; quia tamen rationes antea allatæ, partim  
 etiam in divisione parentum locum inveniunt, hinc  
 eatenit idem jus statuere cum communi DD.  
 schola non dubitamus. Dissentit quidem Curtius  
 Junior. in d. l. bac consultissima. 21. §. ex im-  
 per-

perfecto. n. 4. Julius Clarus d. l. Antonius B. Butrio. conf. 15. Sed hisce satisfetit Schroeter cit. loc. Quamvis enim dissentientes reciprocum correlativorum jus urgeant, L.f. C.d. indict. vid. tamen hoc argumentum fallit, quoties alterius correlati propria qualitas & diversa ratio occurrit; arg. c. 4. X. d. confirm. util. & inutil. juncta l. 32. d. pacif. Oldendorp. top. leg. loco. à correlato. id quod hic contingere ex l. 11. ff. de lib. & postb. l. 10. ff. pro socio. l. 15. pr. ff. d. inoff. test. l. 7. §. 1. ff. unde liberi. l. 50. §. 2. inf. ff. de bon. libert. juncta. l. 6. pr. de jur. dot. l. ult. C. de Codicill. adstruunt. Dissidentes urgent porro favorem testamento- rum, l. 5. ff. quemadm. test. aper. sed testamentis quidem recte favemus in dubio, non autem cum legibus sunt improbata. l. 10. pr. de inoff. test. Cæterum minime obest, quod, sicuti liberi parentibus, ita parentes liberis ab instestate succedant. *Nov. 118. cap. 2.* Nam hæc ratio nihil probat. sequeretur enim, quod & collateralibus inter collaterales, talis privilegia- ta diviso sit permittenda.

TH. X. Dispiciendum nunc est, an etiam avus inter nepotes & deinceps divisionem pos- sit ordinare? Evidem, quoad testamentum avi

C

inter

inter liberos, maxima est controversia. Nam  
quia in l. 21. §. 1. C. d. test. dicitur, quod inter li-  
beros parentum voluntas valeat, sub liberis au-  
tem etiam nepotes continentur, §. ult. Inst. qui  
test. tut. dari poss. hinc videtur generaliter qua-  
stionem posse affirmari. Rectius tamen distin-  
guitur, inter nepotes primum successionis locum  
occupantes, & reliquos: quoad illos expeditum  
est, valere avi testamentum, per textum in l. ult.  
*C. famil. hercisc.* ibi: *ex quolibet venientes gradu,*  
& quia in l. 21. §. 1. C. d. test. generatiū de paren-  
tibus & liberis disponitur, nos autem jam antea  
demonstravimus, appellatione liberorum conti-  
neri nepotes, imo alias quoque in dubio, si cau-  
sa favorabilis est, hoc obtinet, ut sub appellatio-  
ne filii atque patris, videatur comprehendendi nepos  
& avus l. 201. d. V. S. hinc vix aliquod dubium  
superesse poterit. At quando nepotes, supersti-  
te adhuc ipsorum patre vel matre, primum lo-  
cum in succedendo non obtinent, res difficultate  
non caret, nam DD. fere communiter, teste  
Boërio *decis. 241. n. 3.* existimant, avum inter  
nepotes privilegiato hoc testandi jure indistincte  
uti posse, sive ii primum, sive secundum in suc-  
cessione gradum obtineant, per text. in d. l. 21.

§. 1.

§. 1. C. d. test. ubi parentum & liberorum appellatione omnes in infinitum intelligi volunt, arg.  
 l. 4. §. parentum 2. ff. d. in Jus voc. non obstante l. ult. C. famil. hercisc. quam per allegatam l. 21.  
 §. 1. correctam esse contendunt allegati ab Hartm.  
 Pist. lib. 1. quest. 1. n. 16. eoque inclinare etiam  
 videtur Baldus ad c. si clientulus. n. 11. d. alien.  
 feud. 1. T. 13. Alii tamen, nequitam valere testa-  
 mentum parentum quoad nepotes, opinantur,  
 quos refert & sequitur Harprecht. in §. 3. & 4.  
 n. 104. & seq. Inst. d. test. ord. propter verba  
 l. ult. C. famil. hercisc. ibi: tamen pares videntur  
 esse, quæ hoc ipsum ad nepotes, patre ipsorum  
 prius defuncto, una cum liberis testatoris jure re-  
 præsentationis succedentes, restringere viden-  
 tur. Atque hanc opinionem approbat Lüdvell.  
 d. ult. volunt. part. 2. p. m. 333. Priorem vero am-  
 plectit Carpzov. part. 3. c. 4. def. 16. Quicquid  
 horum sit, cum nostra divisio respiciat successio-  
 nem ab intestato, ubi parens arbitrum in famil. her-  
 eisc. judicio prevenit, statuimus, eam inter omnes  
 obtinere liberos, qui ab intestato succedunt. Add.  
 Mey. ad Jus Lub. p. 2. tit. 1. art. 2. n. 31. Meier. Coll.  
 Arg. lib. 28. tit. 1. lib. 52. n. 2. oīfētā  
 TH. XI. Ethinc etiam est, quod nobis  
 non distinguendum esse videatur, inter liberos in

potestate constitutos, & emancipatos, l. ult. C,  
 famil. hercisc. & l. 21. §. 1. C. d. test. & sive ab initio  
 legitime sint nati, sive ex post facto fuerint  
 legitimati, arg. §. ult. Inst. d. nupt. Nov. 74. & 89.  
 Gail. lib. 2. obs. 112. n. 21. & 22. ubi de legitimatis  
 per subsequens matrimonium nullam dubitatio-  
 nem esse ait, quia matrimonium omnem macu-  
 lam præcedentem abstergit & emendat. Sic &  
 mater inter liberos naturales & spurios poterit  
 dividere. Quamvis enim Lex. XII. Tabb. ne qui-  
 dem inter matrem & filium filiamve ultro citro-  
 que hereditatis capienda jus dederit, pr. Inst. d.  
 SCto Tertulliano, tamen SCtum Tertullianum  
 matribus in bona vulgo quæsitorum & Orphitiam  
 num filiis, licet vulgo quæsitis, in bona materna  
 successionem indulxit. §. 7. f. d. t. §. 3. f. ad SCtum  
 Orphic. & propterea etiam hodierno jure matri,  
 quæ certa est, spuri successunt, nec ab aliis legiti-  
 me natis excluduntur, uti præjudiciis confirmat  
 Richter. d. success. ab intest. Sect. 1. membr. 3. n. 6.  
 & 7. Neque hac in parte inter naturales & spurios  
 distinguiimus: quanquam enim, ut filius sit natu-  
 ralis, multi requirant, ut sit natus ex muliere con-  
 cubina, quæ affectione maritali sit habita, & de-  
 tenta in ischemate conjugii & habitu concubinæ;

atta-

attamen hodie naturales & spuriis promiscue sumuntur, & hoc nomine indigitantur illi, qui suscepti extra nuptias ex coitu cum soluta, quæ ob libidinem corporis sui copiam omnibus non fecit. Forster. *d. success. lib. 6. c. 46. n. 9.* Richter. *c. l. n. 5.* Interim matrem, quæ illustris est, hanc disponendi facultate inter spurios destitui putant, legitimis liberis existentibus, *l. 5. C. ad Sætum Orphitian*, cum ea castitatis observationem, præcipuum tantæ originis debitum, neglexerit, & spuriorum nomen iis natalibus indignum sit. Patri vero inter spurios disponendi facultas non videatur data, nam in §. 12. *Inst. d. nupt.* dicitur, quod non intelligantur habere patem, & licet per sententiam judicis stuprator certus forte sit declaratus, inde tamen jus succedendi spuriis non est indulsum, adeoque nec patri disponendi facultas concessa, quod enim expresse non est mutatum, quare stare prohibetur? Inde etiam extendunt hoc, ut procedat, licet mater vi vel dolo fuerit deflorata, atque filii propterea nec arma vel insignia patris genere possint, nec illius nobilitatem assument. Richter. *d. success. ab intest. sect. I. m. 3. n. 4.* Inter adoptivos autem liberos, sive plene sive minus plene adoptati fuerint, hanc parentum di-

visionem admittimus, quia omnes ius succedendi ab intestato habent, & regulariter adoptio imitatur naturam. §. 4. *Inst. d. adopt.* Cumque quoad arrogatos etiam testamentum parentum admittant Ludvvell. *d. ult. volunt. p. 2. p. m. 334.* Hinc multo magis simplex divisio erit concedenda.

TH. XII. Hoc etiam queritur: an pater liberis secundi matrimonii aliquid prælegare possit, ut hi plus consequantur, quam anterioris matrimonii liberis relictum est? de quo in utramque partem disputat Sande *lib. 2. dec. Frisic. tit. 3. def. 6.* & in casu sibi proposito paulo aliter format questionem, in fine autem adjicit, quod Domini in curia pro liberis posterioris matrimonii suffragia dederint, quæ, quia à sua opinione erant aliena, ex Mornacio adjicit: *peccatur sapissime à iudicibus, quod questiones interpretum agitent hinc inde, omittantque interim latentem in angulo peristasin.* *Questio enim juris nunquam moveri disceptarique debet, ubi proponitur permista implacataque facti dominantis species.* Nos questionem affirmamus, dummodo legitima liberorum non minuatur. *Nov. 22. cap. 48.* ubi Justinianus dicit, se parentibus æqualitatem suadere, non jubere.

bere. Mevius ad *Jus Lubec.* part. 2. tit. 2. art. 28.  
n. 65. Rittershus. ad *Nov.* p. 4. c. 5. n. 10. Non  
idem dicendum ex multorum sententia, de ma-  
tre, ne quando liberis secundi matrimonii quid  
donat, ex legis dispositione eorum bonorum pa-  
tri ususfructus acquiratur. l. 1. & seq. C. d. bon.  
quæ liber. & sic legi *Hat edictal.* C. d. sec. nupt.  
fraus struatur. Quanquam in hac quæstione DD.  
non idem sentire, liqueat ex traditis apud Heese-  
rum de *Acquaſt. conjug.* part. 2. loc. 30. n. 175. & 177.  
Ob similem suspicionem fraudis nec privigno  
quid relinquī posse, ajunt, nam parens, qui quæve  
privigno suo donat, videtur ipsi secundo con-  
jugi donare in fraudem legis. Rittershus. c. l.  
Ceterum Galliæ consuetudines pleræque, aut fere  
omnes, parentibus inhibitent, ne filiis ad succes-  
sionem venientibus, quicquam prælegare aut præ-  
ceptionis jure donare liceat, ut testis est Ann. Ro-  
bertus l. 1. rev. jud. c. 15. in calce add. Gudelinus  
d. jur. noviss. lib. 2. c. 19. in fine. Nimirum ut  
Ambrosius libro de *Josepho Patriarcha* præcipit:  
*jungat liberos equalis gratia, quos aequalis jungit*  
*natura.*

TH. XIII. De unitis per pactum & pa-  
riationem prolium, quæſtio moveri potest; an  
etiam

etiam quoad illos valeat divisio parentum ab intestato? Hic rursus recurrendum est ad quæstionem, tanquam præjudicialem, an nimisrum testamenti factio parentibus in illo casu sit relicta? nam à testamento parentum inter liberos affirmative argumentari solent DD. ad divisionem paternam, vid. Perillustr. L. B. de Lyncker. R. 149. n. 12. & 13. Et distinguit Franzkius lib. 2. ref. 28. n. 5. & seq. an parentes simpliciter de suis bonis, an vero etiam de ipsa unione disponere velint? posteriori casu testamentum non valere, scribit, quia sicut verus & naturalis parens non potest filiationem per genitaram contractam testamento tollere, nec sine casu liberos exheredare, ita nec in nostro casu, sine parificatorum consensu circa unionem quicquam disponere potest, sed ad exemplum naturalium liberorum ad minimum illis legitima relinquenda est; Franzkius cit. loc. n. 13. In priori casu testamenti factionem liberam manere, ait, quia per unionem non directe de futura successione, sed saltem de pariatione liberorum agitur, ut scilicet ab alterutro parente singuli pro veris liberis habeantur, ac si ex illis ipsis nati essent, & consequenter ad successionem fese, tanquam alioquin inter naturales & legitimos fit,

æqua-

æqualiter habeant: indeque deducit Franzkius; quod parentibus, quoad liberos parificatos, jus testandi perinde salvum maneat, ac si solum adessent proprii liberi, & consequenter, sicuti non obstante jure liberorum ab intestato succedendi, parentes testari & inæqualiter iis aliquid relinquere possunt, ita & idem quoad unitos licitum erit. Ampliat hoc Franzkius *cit. loc. n. 9. & seqq.* (1.) quod idem sit, licet in pacto expressum sit, bona æqualiter esse distribuenda, (2.) licet dictum sit, sine illa diminutione divisionem fieri debere, (3.) quod nec statuto nec consuetudine contrarium induci possit. Hisce nunc præsuppositis, multo magis nuda divisio ab intestato, etiam inæqualis parentibus erit permittenda. Ast B. Dn. Hertius *in dissert. d. præleg. §. 9.* tradita Franzkii vera putat, si illa secundum Romana jura exigantur. Cum vero certis documentis constet, unionem prolium diu, antequam Romana jura reciperentur, usitatam fuisse, quandoquidem jam Sec. XV. Ordinatio Moguntina de ea, velut dudum solida, loquatur, eandemque civitati Francofurtensi confirmaverit Maximilianus I. Imperator (vid. privilegia der Stadt Frankfurt anno 1494. part. 2. p. 378.) nec minus constet, unionem prolium ideo

D

inven-

inventam, ut, æqualitate inter liberos diversi matrimonii, præsertim ratione bonorum, constituta, dissidiis alioqui facile orituris obvietur, nec quis credere possit, majores nostros, qui testamentis ante jus Romanum parcissime usi, id in illis etiam admississe, quibus institutum hoc oblique subrui aut everti posset, hinc Dn. Hertius *cit. loc.* à Franzkio discedit. Nos vero facile subolemus, tradita Hertii niti duabus hypothesibus, quarum una est, jus Civile Romanum tantum in subsidium receptum esse; altera, quod inter statuta & consuetudines ante receptionem juris civilis vi- gentes & post eam introductas, distinguendum sit, ita, ut hæc, non vero illæ, interpretationem ex jure Romano capiant. Verum hæ duæ hypotheses, hactenus à quibusdam adductæ, ab omnibus nondum sunt admisstæ, & sine nova conturbatione jurium vix admitti poslunt, hinc inhæmus doctrinæ Franzkii.

TH. XIV. Quod matrem attinet, an illi etiam in divisione paterna aliquid assignari possit? non immerito queritur. Sed missis disputationibus, quoad testamentum paternum inter liberos, an sit scriptum, an nuncupativum? an duo testes fuerint adhibiti, an plures? an per modum  
lega-

legati vel fideicommisi matri aliquid sit relictum,  
nec ne? omnino æqua videtur opinio Schilteri  
*Ex. 28. §. 126.* quando dicit: *recedit autem jus*  
*Francorum & aliorum populorum Teutonicae ori-*  
*ginis, à jure Justinianeo, quoad uxorem sive vi-*  
*duam defuncti.* Postquam enim bac in partici-  
pationem hereditatis ab illis est recepta, consequen-  
ter non amplius habetur pro extranea, sed uti lex  
divisionem hereditatis inter ipsam & liberos facit,  
ita & dispositio patris præcavere poterit, salva-  
utrisque legitima portione. --- atque quum jure  
communi in Germania hoc sit receptum, ut uxor  
portionem legitimam, quam statutariam vulgo vo-  
cant, accipiat, --- conficitur, validam esse dispo-  
sitionem patris, in qua uxor liberis quoad partem  
suam hereditatis permixta est, nec habetur nobis  
pro extranea quoad portionem hanc legitimam: plaz-  
nesi quid ulterius as signatum aut aliquid aliud uig-  
uis fructus omnium bonorum, etenus habetur ad-  
huc pro extranea, & bac particula dispositionis pro  
nulla: quo pertinent responsa apud Richter. dec. 29.  
n. 87.

TH. XV. Transimus ad res, quæ à pa-  
rentibus inter liberos dividuntur, quæ, si allodia-  
les sunt, sine dubio in hanc divisionem veniunt,

D 2

quod

quod extendunt etiam ad bona avita, Erb:oder  
 Stamm-Güter / quæ scilicet parens ipse non  
 acquisivit, nec à suo parente, sed à suis majori-  
 bus, avo nimis, proavo, & ulterioribus pa-  
 rentibus & majoribus accepit. Schulz. in *synopse*  
*Inst. tit. d. assign. libert. lit. a.* An autem hoc lo-  
 cum etiam in feudis habeat, ut pater possit uni  
 ex filiis totum feudum assignare, vel disponere, ut  
 filii inæqualiter in feudo succedant, ac, v. g. uni  
 filio duas partes, alteri tertia pars feudi assigne-  
 tur? queritur: & quia diversæ hac de re opinio-  
 nes, extensiones & limitationes reperiuntur, quas  
 recenset Schneidevvinus ad *Inst. d. assignat. libert.*  
*Gailius lib. 2. Obs. 112.* hinc videbimus, annon  
 quæstio per distinctionem inter feudum ex pacto  
 & providentia & inter feudum hereditarium ex-  
 pediri possit. Illud vocamus, in quo succeditur  
 primo acquirenti, & ex ejus dispositione, non ul-  
 timo defuncto. arg. l. 67. pr. & §. 1. d. Leg. 2. l. 3.  
 ff. d. interd. & releg. neque est pars hereditatis,  
 d. l. 3. & 2. F. 45. quæ doctrina exceptionem  
 patitur in vasalli liberis, qui nomine heredum ve-  
 niunt. l. F. 1. §. 2. in f. & l. F. 13. in f. 2. F. 18. 26.  
 §. fin. 34. §. profecto, unde concluditur, si hi libe-  
 ri patri in allodio succedunt, quod una intelliga-  
 tur

tur esse hereditas, nec feudum sine allodio acquiri possit. 2. F. 45. 51. §. filius. Verum ab hac exceptione ratione liberorum vasalli DD. prorsus excipiunt, adeoque ad regulam referunt tres casus, (1.) si feudum sit datum vasallo & liberis. Anton. *disp. feud.* 1. *tb.* ult. *lit.* K. ubi hanc rationem reddit:  
*Quod enim filius patri in feudum successurus ejusdem hereditatem simul retinere tenetur, id quidem pertinet ad naturam feudi, non tamen ad ejus substantiam.* Pacto igitur & conventione contrahentium recedi potest à jure illo, & effici, ut filio, etiam non heredi, liceat consequi bona feudalia. *Quod autem talis conventio censeatur interponi, quando feudum expresse pro liberis datur, ex jure communii (à quo omnia statuta omnesque consuetudines, quantumvis strictæ, interpretationem, quam vocant, passim recipiunt,* Schrader. part. I. quest. 3. n. 2. Rosenthal. cap. I. quest. 15. n. 32. & seqq.) manifestum est: in primis vero ex I. cum patronus.  
22. §. cum libertus ff. d. operis libert. — quin etiam interpretes prodiderunt generalem regulam, si patrem non transitoriam in heredes extraneos stipulatus fuerit sibi & liberis seu filiis suis, eum liberis, ut liberis, hoc est, etiam si heredes non extiterint, stipulatum censeri. Verum enim vero hæ regula

& antea citata lex probant quidem, quod res transeat ad liberos, etiamsi in reliquis non sint heredes patris facti, & sic etiam eodem modo feudum ad liberos pervenire potest, verum inde non sequitur, quod, si liberi feudum ab allodio separare valent, hoc contra naturam feudi sit, quippe quæ erat principalis ratio Antonii, quam nos non concedimus, alias enim sequeretur, quod regulariter illud feudum, quod liberi vel etiam agnati absque allodio acquirere nequeunt, sit imprimum. Rectius ergo statuimus, quod regulariter in feudo ex pacto & providentia feudum separare liceat ab allodio, & tantum jus feudale commune quoad filios induxit exceptionem, à qua si dominus & vasallus recedunt, non recedunt à natura feudi, quin potius ad ejus regularem naturam redeunt, sed recedunt solum ab exceptione in jure communi feudali tradita.

TH. XVI. (2.) Excipiunt, si patri intuitu liborum feudum sit concessum; Carpz. p. 2. C. 47. d. 8. (3.) Aliud jure Saxonico extra electoratum etiam obtainere putat Carpzov. cit. loc. def. 4. n. 5. ubi per textum *in art. 21. lib. 2. Land-Recht. in verbis:* Hat auch ein Mann einen Sohn/ der sein Lehn-Erbe ist/ nach Lehn-Recht/ er be- hält

Hält seines Vatters Gebäude gar auf seinem  
Lehn mit mehrern Recht/ dann der sein Erbe ist  
nach Land-Recht ic. Hoc probat contra Hartm.  
Pistor. part. 2. quest. 2. n. 49. & Berlich. part. 2.  
concl. 56. n. 17.

TH. XVII. Nunc statuimus, quod etiam  
in feudo ex pacto & providentia pater possit di-  
visionem instituere inter filios jure hereditario suc-  
cedentes , quia hi tanquam heredes factum pa-  
tris præstare debent; Secus ergo est in casibus ex-  
ceptis , ubi filii jure hereditario non succedunt. Ita  
breviter quæstionem hanc arduam, & in qua tot  
sententias esse aīunt, ut vix discerni possit, quæ  
communis sit, ex solida, ut putamus, ratione, de-  
cidimus. Evidem fūnt, qui distinguunt, inter  
feudum ex pacto & providentia antiquum & no-  
vum, putantes , illud parentis dispositioni non sub-  
jacere , bene ramen novum. Attamen etiam  
quoad novum dissentit Hermann. Vultejus d. feud.  
cap. 9. n. 79. p. m. 487. ex hac ratione, quia in in-  
vestitura omnibus successoribus jus quæsitum est,  
quod ab ipsis invitatis aut sine suo facto auferri non  
debet, ut maxime domini consensus interveniat,  
atque hinc Vultejus rejicit distinctionem Cephalii  
conf. 152. n. 81. qui domino consentiente patri  
hoc

hoc permittit, non vero domino dissentiente. Sed hanc distinctionem amplecti videtur Rosenthal. *de feud. cap. 7. Concl. 16.* a Vultejo autem quoad feudum novum recedere Perillustr. L. B. de Lyncker. *ad Struv. Syntagm. jur. feud. cap. 9. aph. 1. n. 7.* sed quoad antiquum consentire videtur, qui tamen quoad jus Saxonicum ratione antiqui, filios parentis factum præstare teneri, statuit. Nos à ratione & assertione nostra inde non dimovemur, nam & in antiquo & in novo feudo ratio obtinet, quod filius factum patris præstare debeat, si ut heres succedit. Et Confirmamur in ea eo magis, quod videamus, etiam quosdam dissentientes afferre rationes sui dissensus, quæ saltem exceptionem nostram primam concernunt. vid. Gail. *lib. 2. Obs. 116. num. 9.*

¶ II.

TH. XIIX. Procedimus ergo ad feudum hereditarium, quod non ex solis verbis, sed simul ex mente investituræ estimamus. Prius quidem volunt allegati à Vultego *d. feud. cap. 8. n. 23.* & hinc feudum hereditarium esse dicunt, quod aliqui concessum eum mentione heredum. Ast vox *beres* explicanda est pro substrata materia, hinc potius dicimus, illud hereditarium esse, in quo  
ex

ex mente investituræ, successio feudalis mutata est  
in aliquam hereditariam, Dn. Coccejus d. Jur.  
*Feud. tit. 3. n. 24.* Et quia illa mutatio vel in totum  
vel in tantum fieri potest, hinc recte dividunt he-  
reditarium in mere & mixte hereditarium. Mere  
hereditarium est, quando tota successio mutata est  
in hereditarium. Mixte hereditarium est, quan-  
do ex pactis investituræ, vel alias ex usu loco-  
rum, feudum hereditarium tantum quosdam ef-  
fectus feudi hereditarii habet; hinc rejicimus Pi-  
leanos, qui illud mixtum vocant, ubi agnati jure  
proprio, filii vero jure hereditario succedunt. In  
feudo mere hereditario sine dubio patri permit-  
titur divisio. Quoad mixtum etiam omnes DD.  
admittere, ut pater uni filiorum id prælegare pos-  
sit, scribit Vultejus c. I. n. 59. ex hoc argumento;  
quod in tali feudo, filius ut succedat, requiratur,  
ut sit heres, secundum communem opinionem,  
& ita, si heres non est, feudum petere nequeat;  
si vero heres sit, factum defuncti impugnare  
haud valeat. Differit quidem ulterius Vultejus  
de agnatis, quos vero, quia ad nostrum censum  
non pertinent, libenter dimittimus.

TH. XIX. Sed quid juris circa feendum  
pignoratum, Pfand-Lehn / competet patris

sup

E

Hic

Hic ante omnia sciendum est, quidnam sit feudum pignoratitium? tunc enim quæstio de effectu erit facilior. Istam definitionem videtur nobis rectissime expressisse B. Dn. Brucknerus in *disp. d. curiosis juris feud. th. 33.* cuius verba ad nostrum scopum facientia hic transcribere licet; Distinguunt autem inter duplarem feudi pignoratitii acceptiōem, nām (1.) accipitur pro tali re, quæ antea erat allodialis, postea vero accepta certa pecunia, tanquam credita in feudum data, sub pacta libertate reliundi indefinite, vel intra certum tempus. Quo casu, si vasallus antea factam à domino directo relutionem moriatur, relietis filiis & filiabus, filii tantum in taliter dicto pignoratitio feudo succedunt, exclusis filiabus, quia naturalia feudi, quale etiam successio masculorum præ feminis est, hic merito attentuntur. Adeoque nos, quod attinet divisionem paternam, hic eadem obtinere putamus, quæ antea circa feudum ex pacto & providentia attulimus. (2.) feudum pignoratitium accipitur pro re, ante oppignorationem jamdum feudali, sed forte à vasallo cum consensu domini directi & agnatorum oppignorata, atque tunc improprie hæc res dicitur feudum pignoratitium, ein Pfand-Lehn/ quia

quia feudum non ut feudum, sed potius allodialiter penes creditorem est, Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Feud.* cap. 4. apb. 14. n. 2<sup>r</sup> indeque consequitur, in talem rem oppignoratam & masculos & foeminas aliosve heredes allodiales allodialiter, & ut in pignus succedere. Hinc nos rursus concludimus, quod multo magis paterna divisio in eo sit admittenda.

TH. XX. De emphytheusi quoque pro se & filiis constituta, queritur: an illam uni liberorum pater assignare possit? Negat hoc Jason. in L. 2. C. d. jure emphytheutico. n. 207. & seq. quam opinionem communem esse testatur Co- varruvias 2. var. ref. 18. n. 2. Sed quia emphytheusis natura sua perpetua est, & in quoscunque heredes, etiam extraneos, transit, non videtur dominus, quando alicui pro se & filiis suis emphytheusin concedit, jus emphytheuticum restrinxisse, sed hoc tantum voluisse, ut emphytheuta sine filiis defuncto, exclusis agnatis & extraneis id recta ad dominum revertatur, vel uno verbo, dominus tantum voluit demonstrare certos successores, non vero successionis modum praescribere.

TH. XXI. De forma divisionis paternae etiam quendam veniunt adjicienda, ubi jam ia

descriptione diximus, quod illa per modum legati fiat. Nam sive divisio fiat æqualiter, sive inæqualiter, utroque casu cuique heredum sua portio quasi legatur: eo enim ipso, quo certa portio, alioquin coheredibus pro indiviso communis, uni soli assignatur, reliquorum jus in illa re tollitur, & hujus solius fit, propria: quod si divisio inæqualiter fit, tunc per modum prælegati sese habet, & hinc vulgare Jctorum brocardicum, quos laudat Brunnemann. ad L. 14. C. famil. bercise. scilicet, divisionem à testatore factam se habere instar prælegati, ad hanc inæqualem divisionem respicit. Quamvis autem B. Dn. Hertiis *dissertatione de prælegatis.* §. 5. neget, dictam regulam ad divisionem paternam pertinere, quia nuspian tale quid constitutum reperitur; ei tamen accedere non possumus, cum jam antea evictum sit, divisionem inæqualiter fieri posse, adeoque, quod uni heredum præ altero conceditur, utique instar prælegati vel legati haberi potest, præsertim postquam legata fideicommissis sunt exæquata, & sic ex natura fideicommissorum hoc acceperunt, ut etiam ab intestato valerent. Caute autem ejusmodi divisio instituenda est, & potius a morte propria suspendenda, quia jam supra diximus,

quod

quod inter vivos non facile valeat, neque jure  
communi talis divisio subsistit, qualis jure Lube-  
censi recepta est, ubi per divisionem liberi sepa-  
rantur, & excluduntur à futura parentum succes-  
sione, quam rationem dividendi optime defen-  
dit Mevius *part. 2. tit. 2. art. 2. n. 7.* & seqq. Su-  
pra autem jam monuimus, quod inter eas tantum  
personas possit fieri divisio, quæ alias ab intestato  
succedunt. Hinc procedit talis divisio, etiamsi  
nulli filiorum aliquid relictum sit tuto institutio-  
nis, Jason. *in auth. novissima. C. d. inoff. test.* ubi  
dicit, hanc opinionem esse veram, sicut evange-  
lium, eamque multis rationibus confirmat. Äqui-  
tas enim & honestas suadet, ut filii parentum vo-  
luntatem observent, *t. ult. C. d. test.* id quod præ-  
judicis variis confirmat Richterus *dec. 29. n. 5.*  
ubi & hoc refert: *Daß dieses für eine väterliche  
Abtheilung unter den Kindern/ bey welcher ei-  
nige solennität und institutio heredum nicht von  
nothen/ geachtet werden kan. ic. hinc etiam in ta-  
li divisione quidam liberi v. g. prioris matrimonii  
non possunt excludi ; Illustr. B. de Lyncker.  
dec. 1373.*

Th. XXII. Haec divisio autem fit vel in  
scriptura, vel per nuncupationem. Priori casu

subsistit, si vel ipse parens divisionem scripscrat, vel  
 scripturæ aliena manu factæ subscriptserit, vel si li-  
 beri sua subscriptione illam approbaverint. *I. f. C.  
 famil. hercisc. Nov. 18. cap. 7.* & ibi Stephan. n. 48.  
 49. *Nov. 107. cap. 3.* Carpz. p. 3. c. 4. d. 22. Hartm.  
 Pistor. p. 1. q. 2. *in fin.* Schilter. *Ex 38. §. 131.* Po-  
 steriori casu parentis voluntas tunc demum vim  
 habebit, si duo testes adfuerint, coram quibus  
 parens suam dividendi voluntatem expoluerit,  
*arg. I. 12. d. testibus,* Carpz. p. 3. c. 4. d. 22. n. 10.  
 Hinc queritur, an, quando pater ipse scribit di-  
 visionem, necesse sit, nt nomen suum exprimat?  
 quod videtur affirmandum, quia alias, ubi no-  
 men scribentis scripturæ non insertum, scriptura  
 non recognoscibilis dicitur, Carpz. lib. 3. R. 87.  
 n. 21. & seqq. Pro negativa autem facit, quod suf-  
 ficiat, quibusunque indiciis constare de volun-  
 tate patris. *I. fin. C. famil. hercisc.* Schilter. *cit. loc.*  
 perillustr. L. B. d. Lyncker. *dec. 226.* Hinc infe-  
 runt DD. quod schedula reperta in cistula patris,  
 continens divisionem bonorum inter filios, fidem  
 faciat & servanda sit, si manu patris scripta vel  
 saltem subscripta sit. Gail. lib. 2. obs. 112. n. 9. Quid  
 autem, si nec locus nec dies sit adjectus? quoad  
 testamentum parentum inter liberos hunc casum  
 ponit

ponit Sande. l. 4. dec. fris. tit. i. def. 9. quod testatrix inter liberos testari volens notario suam voluntatem dictaverit, qui eam in scripturam redigit, cum clausula: *quod testatrix suam voluntatem velit valere in vim testamenti in scriptis conditi, vel nuncupativi, vel alterius cuiusque voluntatis*, in fine additis his verbis: *actum, ut supra*, putans, se in proœmio diem, mensem & annum expressisse, quem incuria prætermiserat. Licit autem testatrix huic scripturæ in præsentia testium subscripterat, una cum testibus, quorum unus in sua subscriptione diem, mensem & annum notaverat, tamen in judicio inferiori hæc voluntas pronunciata fuit invalida; astin curia superiori sententia fuit reformata. Quicquid autem fit de testamento, aliud plane est in nuda divisione, quippe quæ nec testibus indiget, nec aliis solennitatibus l. 21. C. d. test. illustr. L. B. de Lyncker dec. 226. & dec 1206. De quæstione autem, an ad testamentum parentum inter liberos requirantur duo testes, nec ne? ulterius vid. Schilter. Ex. 38. §. 127. Est itaque privilegium hoc divisionis plenissimum, quo & testamentum paternum inter liberos absque testibus ac subscriptione anni & diei confectum adjuvari potest, nimirum

rum ut valeat saltem jure divisionis paternæ inter liberos? Hartm. Pistor. p. 1. q. 2. n. 29. vers.  
 ex quo porro ex vi & efficacia clausulæ codicillaris, vel de omni meliori modo. Quæ verbis licet non expressa, in omni tamen testamento parentum inter liberos subintelligitur. Hartm. Pistor. p. 4. q. 9. n. 19. Anton. Faber in Cod. lib. 6. tit. 5. d. 7. n. 4. Carpz. lib. 6. R. 43. n. 8. 9. Quoad divisionem nuncupativam tenendum est, quod, licet in illa simplex voluntatis probatio desideratur, l. 16. C. famil. hercisc. ibi: voluntas ejus declarata quibuscumque verbis. Et l. 21. ibidem: qualicunque judicio. item l. ult. C. eod. ibi: verbis vel indiciis, tamen probatio per duos testes fieri debat; ubi enim non ad solennitatem, sed ad rei probationem respicitur, sufficiunt duo testes. Quæritur autem, an testium duorum consociatio requiratur? Evidem, quando hæc divisio in codicillis fit, consociatio ideo videtur necessaria, quod testes uno eodemque tempore adhibendos exposcat l. ult. §. ult. C. d. Codicill. Meyer. in Colleg. argent. tit. d. jure Codicill. tb. 14. Ludvvell. d. ultimis voluntatibus. part. 2. cap. 5. pag. 403. Et singulare privilegio in testamento tempore pestis condito conjunctio testium sit remisla. l. 8. C. d. test.

test. juncta l. 12. §. 43. ff. d. instr. vel instr. leg.  
 adeoque regulariter in ultimis voluntatibus testes  
 simul praesentes esse debeant; sed quando divisio  
 tantum nude declaratur ab intestato, non vide-  
 tur necessaria conjunctio testium, licet enim in  
 testamento nuncupativo consociationem & unum  
 contextum requirant, (ubi tamen alii merito tex-  
 tum desiderant) quia tamen divisio paterna sal-  
 tem est preventio arbitri familie hereditudine,  
 non apparet, quare ad probationem hujus actus  
 consociatio testium requirenda sit: quin & pro con-  
 firmatione hujus sententiae per illastr. B. de Lynck  
 R. 149. argumentum necit ex fundamento juris  
 gentium, cuius verba cum hue apprime faciant,  
 apponere libet: quo prae ceteris doctrina Philip-  
 pi Cornei pertinet ad Autb. quod sine. C. d. test.  
 n. 3. quando: ubi duo, inquit, tantum testes re-  
 quiruntur, ibi non ad solemnitatem, sed ad rei ge-  
 stae probationem respexisse leges videntur, que  
 quomodo, quave forma impletatur, parum interest,  
 si voluntas testantis pateat. Nec minus etiam hue  
 facit, quod in ipso etiam testamento parentum in-  
 ter liberos (quoad voluntatem ejusque sensum, de  
 cetero enim Et ipsum silla requisita civilia habet)  
 jus tantum gentium servari dicant DD. ap. Mant.

280000

F

tit.

tit. 11. n. 10. d. ult. volunt. Mich. Grassis. lib. 1.  
 recept. sentent. §. test. quæst. 11. n. 1. & quod in eo  
 modus probandi regularis observetur: adeo, ut, si  
 dubitetur, num hæc manus testatoris sit, ad id pro-  
 bandum duo etiam testes singulares sufficient. Co-  
 varuv. c. 6. d. test. & Jul. Clarus recept. sentent.  
 §. testamentum; quæst. 8. n. 24. Desumit porro per il-  
 lustr. B. de Lyncker. cit. loc. n. 17. seq. argumen-  
 tum à testamento militum, quo voluntates ulti-  
 mæ parentum multo sunt favorabiliores, testæ Ja-  
 fone in Auth. Novissima. n. 17. C. d. test. & l. 21.  
 §. 1. n. 4. C. eod. Castrens. ib. n. 2. Dauth. ad Auth.  
 Hoc inter n. 1. C. de test. Vultejus 4. C. marp. 15.  
 n. 3. jam vero de ultimis voluntatibus militum  
 nullibi constitutum censet, quod testium duorum  
 consociatio requiratur. Neque enim aliud in  
 l. 40. pr. de test. mil. requiritur, quam ut ita sub-  
 secum esse, legitimis probationibus ostendatur.  
 Cum nunc militum testamenta ad simplicitatem  
 juris gentium sint redacta, in quo ad probatio-  
 nem negotii duo testes requiruntur, duo autem  
 testes, singulares etiam, pro duobus æstimentur;  
 hinc concluditur, consociationem præcise non re-  
 quiriri. Ceterum hoc est expeditum, rogatio-  
 nem testium non esse necessariam, & etiam fo-  
 minas

minas inter testes admitti, quia non ad solennitatem, sed ad probationem faciunt.

TH. XXII. Ad effectum divisionis paternae referimus quæstionem, an illa faciat parentes testatos, an intestatos? Diversimode hac de re DD. sentiunt, ut ex Sichardo *ad. l. 10. n. 7. C. famil. hercisc.* Schiltero *Ex. 38. §. 124.* Dauthio aliisque patescit. Sicherius eo tendit, an ex divisione colligi possit, patrem voluisse facere testamentum aut codicillos, vel decedere intestatus? & quod magnus hujus quæstionis effectus sit, inde evincit, quia, si parens testamentum fecit per illam divisionem, tunc nativitate posthumæ improvisa hoc testamentum rumperetur; si vero fecit codicilos, tunc nativitate posthumæ illi codicilli non rumpuntur, ita tamen, ut posthumæ legitima portio maneat salva; *l. pen. ff. de jur. codicill.* Hisce præsuppositis Sichardus amplectitur glossam distinguenter, an pater dividens iniixerit divisionem in voluntate solenni, i. e. adhibitis septem testibus, notario & ceteris, quæ requiriuntur in *l. bac consultissima. C. d. test.* & tunc præsumit, patrem voluisse facere testamentum, an vero defectus sit in testibus tempore divisionis, utpote si tantum duo vel tres adhibiti: & tunc subdistinguit, aut

XIX. at

F 2

ille

ille pater fecit divisionem per quotas, & præsumitur voluisse facere codicillos: aut non fecit per quotas, sed tantummodo certas res cuique assignavit, & præsumitur voluisse decadere intestatus, sic tamen, ut illa diuissio habeat vim prælegatorum. Laudat etiam Sichardus hujus opinionis patronos, Baldum, Salicetum, aliosque & quod Baldus dicat, antea dictam glossam esse præferendam omnibus in universo corpore juris. Schilte-  
rus autem tradit, defunctum non quidem testa-  
tum decadere, neque etiam plane ab intestato li-  
beros succedere, sed media ratione & ex ultima-  
patris voluntate divisoria, imo clarius dicit: *Suc-  
cessio liberorum sit ab intestato, modus succedendi  
ex ultima voluntate nuda.* Et sic putat Schilte-  
rus, solidam apparere responsionem ad longam  
& inanem (an vero inanis sit, ex Sichardo antea  
relatum est) Doctorum controversiam, an talis  
dispositio valeat jure testamenti, an jure intestati.  
Hoc facile concedimus Schiltero, talem dispo-  
sitionem vulere, etiamsi titulus institutionis inter  
liberos fuerit omissus, sed an haec conclusio de-  
pendeat ex ejus media ratione succedendi, ipse  
videat.

TH. XXIX.

TH. XXIX. Cum vero divisio prædiorum  
 vicem emtionis habeat l. i. C. comm. utriusq. jud.  
 hinc pro excessu portionis debitæ, laudemium  
 erit præstandum. Franckius d. laudem. cap. 8. n. 52.  
 Porro divisio paterna heredes ab intestato obligat,  
 non tantum remotioribus, sed & extrancis restituere  
 fidecommissa, per illustr. Dn. de Lynck. dec. 226.  
 An vero & quatenus evictio à coleredib⁹ sit  
 præstanta, tradit Sande l. 4. tit. 11. def. 2. B. Dn.  
 Hertius de præleg. §. 5. inf. Cumque certum sit,  
 quod prælegatum heres, et si abstipuerit se here-  
 ditate, conseq̄ui possit, l. 17. §. 2. d. leg. l. 87. eod.  
 quæ sententia à Dn. Brunnemann ad l. 87. leg. 7.  
 in prima commentarii ad ff. editione impugnata,  
 in noviori melioribus rationibus defensa est; hinc  
 sequi videtur, quod etiam in divisione paterna,  
 quippe quæ per modum prælegati quandoque  
 fit, idem obtineat; Sed limitat dictam assertio-  
 nem Brunnemannus ad l. 90. §. 1. d. leg. 1. in di-  
 visione bonorum, quia divisio & assignatio bo-  
 norum facta à patre, viderur in executionem com-  
 modiorem præcedentis institutionis ( vel etiam  
 successionis ab intestato ) facta, & ut obviam ea-  
 tur discordiis fratum. Item nostra divisio non  
 debet præcise de omnibus bonis fieri, hinc dif-

§ (46)

fert à testamento inter liberos. Dn. Bölimer. ad  
Ius Digest. tit. de test. milit. §. 20. Exinde etiam  
datur actio familiæ herciscundæ. Carpz. lib. 6. R.  
43. n. 6. inf.

TH. XXV. Multo fusiores esse possemus,  
sed properamus ad finem, ne instituti metas ex-  
cedamus. De contrariis, inter quæ poenitentia  
aliaque veniunt, quæ alias ultimas voluntates  
evertunt, vid. Perillustr. Dn. B. de Lyncker.  
*dec. 1349.* Nonnullorum locorum statuta quoque  
aliquid præcipui uni ex liberis relinquere vetore,  
testatur Gudelinus *d. jur. noviss. lib. 2. cap. 19.*  
*in f.* Vinnius. *d. collat. cap. 17. n. 17.* & statutum  
Hamburgense *part. 3. tit. 2. §. 4.* hanc facultatem  
ad bona acquisita (wohlgewonnene Güter)  
restringit.

TH. XXVI. Denique hæc divisio accedit  
testamentis parentum inter liberos, differentiæ au-  
tem ex haecenius traditis colligi possunt. Sic etiam  
assignatio libertorum ad affinia pertinet, unde &  
interpretes hanc nostram ad illum titulum plerum-  
que recensent, quorsum benevolum lectorum,  
brevitati studentes, utque minus exasciatum  
hunc laborem bene consulat, ro-  
gantes, remittimus,

SOLI DEO GLORIA.





ULB Halle  
003 742 458

3



TA → OL

f

nur 1+9 Stück verknüpft





B.I.G. Black  
3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Inches Centimetres

7

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA  
DE DIVISIONE PARENTVM  
INTER LIBEROS  
Vom vaterlicher Theilung  
QVAM  
DIVINA ANNVENTE GRATIA  
SVB REGIMINE ACADEMICO  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**DN, VVILHELCMI HENRICI**  
DVCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM, ANGA-  
RIÆ VVESTPHALIÆQUE & reliqua,  
PRINCIPATVS ISNACENSIS ET PROVINCiarVM AD IL-  
LVM PERTINENTIVM HEREDIS  
EX DECRETO ET AVTHORITATE ILLVSTRIS  
FCTORVM ORDINIS  
IN ALMA SALANA  
PRÆSIDE  
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**CHRISTIAN. VVILDVOGELIO**  
JCTO CONSVMMATISSIMO,  
CONSILIARIO SAXO - ISENACensi INTIMO, CVRIÆ PROVIN-  
CIALIS ET SCABINATVS NEC NON FACVLT. JVRID. AS-  
SESSORE GRAVISSIMO, JVRIIS PVBL. FEVD. ITEMQVE  
COD. ET NOV. PROFESSORE ORD.  
PATRONO AC PROMOTORE SVBMISSE VENERANDO  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES CAPESSENDI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
DIE DEC. 40 C M DCC X.  
JOHANN. FRIEDR. KROMAYER, Jenens.

P. 288.

JENAE, TTPIS MULLERIANIS.

